

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XVII. De Duobus Rebus Stipulandi & Promittendi.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

de reo, cui datur salvus conductus specialis, in
iudicio sistendo cavent (hodie etiam pacto) sub
pœna 100. 200. 300. th. a. l. 4. ff. d. cust. & exhib.
reor. Non tamen in ea obligationibus dandi
usurpari prohibetur. §. 18. J. d. inutil. stipul. a l. 71.
ff. pro soc. l. 47. ff. d. act. emt. modo nihil in frau-
dem legitimarum usurarum fiat. a. l. 44 ff. d. usur.

TIT. XVII.

De Duobus Reis Stipulandi & Pro-
mittendi.

Quibus modis duo rei fieri possint.

ET stipulandi & promittendi duo pluresve rei fie-
ri possunt. Stipulandi ita, si post omnium in-
terrogationem promissor respondeat, *Spondeo*: ut
puta, cum duobus separatim stipulantibus, ita pro-
missor respondeat: *Utrique vestrum dare spondeo*.
Nam si prius Titio sponderit, deinde alio interro-
gante spondeat, alia atque alia erit obligatio, nec cre-
duntur duo rei stipulandi esse. Duo pluresve rei
promittendi ita fiunt: *Mævi, decem aureos dare spon-*
des? Sei, eosdem decem aureos dare spondes? si re-
spondeant singuli separatim, *Spondeo*.

Ex Pomp.
l. 4. de
duob. reis
Constit.

De effectu hujusmodi stipulationum.

1. Ex hujusmodi obligationibus & stipulationibus
solidum singulis debetur, & promittentes singuli in
solidum tenentur. In utraque tamen obligatione
una res vertitur, & vel alter debitum accipiendo,
vel alter solvendo, omnium perimit obligationem,
& omnes liberat.

De stipulatione pura, & de die & conditione.

2. Ex duobus reis promittendi, alius pure, alius
in diem, vel sub conditione obligari potest: nec
impe-

Ex Flor. l.
7. de duob.
reis const.

impedimento erit dies aut conditio, quo minus ab eo, qui pure obligatus est, petatur.

I.

Stipulatio Correalis est verborum obligatio, qua plures personæ ex eadem causa obligationem de una eademque re in solidum acquirunt vel suscipiunt, P.R. § b. l. 2. ff. d. duob. reis const. Non tamen necesse est, ut correalis obligatio verbis: in solidum nominatim exprimatur, cum de animo constituendi correalem obligationem ex formula Verborum aliisque circumstantiis constare sufficiat. a. § 1. §. b. l. 1. §. f. ff. b. Hodie correi nudo pacto recte constituuntur. quo casu non nocebit consensus ex intervallo interpositus.

II. Stipulatio correalis obligationem acquirit, aut imponit correis, qui sunt vel stipulandi, quando post omnium stipulatorum separatim factam ex eadem causa de eadem re in solidum interrogationem, promissor una voce, se futurum daturumve, respondet, e g. utrique vestrum spondeo, P.R. §. b. vel promittendi, quando post stipulatoris distinctam at continua oratione factam ex eadem causa de eadem re in solidum interrogationem plurium ipsi se daturos facturosve in continenti responderunt. P.R. §. b. l. 4. l. 12. ff. d. duob. reis const.

III. Stipulatio correalis efficit, ut creditores correi jus exigendi solidum habeant, & debitores correi necessitate solvendi solidum teneantur,
unius

unius autem exactio vel solutio omnium perimit obligationem §. I. *J. b. l. 2. ff. b. (a)* interim §. I. *I. h. correi debitores exceptione divisionis uti queunt. N. 99. c. 1. (b)*

IV. *Stipulatio correalis recipit diversitatem qualitatis temporalem*, ita alius pure, alius sub conditione obligari, atque a pure obligato, pendente licet conditione, debitum exigi potest. §. II. *Inst. b. non perpetuam, cum alter doli alter §. 2. I. h. etiam culpæ præstationem suscipit. l. 9. §. 1. ff. d. duob. reis const. aliter enim, correi, non vero ad aliud obligari queunt. a. l. 15. ff. b.*

TIT. XVIII.

De Stipulatione Servorum.

An servus stipulari possit.

Servus ex persona domini jus stipulandi habet. *Ex Hermog. l. 61. de acquir. rer. dom.*
Sed hereditas in plerisque personæ defuncti vicem sustinet: ideoque quod servus hereditarius ante aditam hereditatem stipulatur, acquirit hereditati, ac per hoc etiam heredi postea facto acquiritur.

Cui acquirat. De persona, cui stipulatur. De stipulatione impersonali.

1. Sive autem domino, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter servus stipuletur, domino acquirit. Idem juris est & in liberis, qui in potestate patris sunt, ex quibus causis acquirere possunt.

(a) *In obligationibus correalibus correis credendi singulis solidam debetur, & correi debendi singuli solidum debent. §. 1. J. b. l. 2. ff. b.*

(b) *Correi debendi gaudent beneficio divisionis, dummodo idonei, & præsentis sint. N. 99, c. 1.*

De